ANTONIO VALLOTIO

REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS ET ARCHIATRORVM COMITI.

CArminibus quæ fœta meis se Musa sub auras
Protulit, & fusi laudauit damna cruoris;
Illa quidèm quamquàm afflatus melioris, & auræ
Indiga, præsidio tamen aucta potente, tuisque
Nixa super titulis (ô turbæ illustre medentis
Et decus & Princeps Valloti) rumpere durum
Laudis iter, potuitque aliquod sibi quærere nomen:
Inde tuâ quantùm valeat certare sub vmbrâ
Conspiciens, quantùmque humilem tua gloria tollit,
Sponte feror quocumque rapis, seu per juga dumis
Horrida, & abruptas pendente cacumine cautes,
Siuè dehiscentis patefacta per ostia terræ
Infernas penetrare domos, & cæca silentum
Regna paras: stat fixa tuis vestigia plantis
Vsquè sequi, & faustos noti mihi Syderis ignes:
Iamque nouos moliri ausus, noua condere cæpta,
Te Duce mens agitat, nec surdâ inhibere vocantem
Aure potes, laudum refugis ni dona tuarum.
Pæoniæ rediuiuus amor virtutis, inertem
Iamdudùm extimulat, suadetque retexere rursùm
Prima rudimenta, & viridis sub flore iuuentæ
Monspelij emensos iubet instaurare labores,
Marcentique Hederæ patrias annectere Lauros.
Grande opus, & nostris moles conatibus impar!
Quippè Machaoniis dudùm desueta palestris
Mens ignaua pauet, pugnæque horrore futuræ
Territa, Parisio metuit se credere Soli.
Tu solus Valloti animos, curasque labantes
Erigere, & solus poteris firmare trementem.
Ergo meum, Columenque artis, quæ cuncta per orbem
Sospitat, & salui cujus stant munere Reges,
Annue; difficilesque alti moliminis orsus
Inscribi patiare tibi, tantisque superbum
Auspicijs, ambire notæ melioris honorem.
Sed satis orando prolusimus; exue segnes
Musa moras: video explicitis jàm feruere signis,
Aduersasque instare acies, & sæua minari
Vincula: nunc neruis opus est & robore: viles
Ite metus; nec enim, quemquam, qui tanta vocasset
Auxilia, in ventos sua vota abiisse, querentem
Vidimus, aut vanos thuris sparsisse vapores:
Hic alit audentem successus & illa serenat
Spes animum; fausti agnosco certaminis omen:
Iamque iuuat conferre manum, iuuat ire periclis
Obuiam, & hostiles vltrò præuertere motus.
Valloti mihi numen eris, Tu sensa profundo
Excuties abstrusa sinu, fallaxque Sophisma
Et rerum ambages melior Cortina resolues:
Te coràm, trepido fugient agitata pauore
Errorum vaga monstra, parensque inscitia falsi
Lumine pulsa tuo, tristi se nocte recondet.
Tu, me, per varios, ludique, hominumque tumultus
Iactatum aspicies: & si (quod amica repellant
Numina) contigerit prostratum tendere palmas,
Ipse, oculis nutuque, fauens, artesque modosque
Pugnandi expedies, animumque ardoris egentem
Dulcibus & monitis & spe inflammabis honoris:
His, accensa, super, mens ad majora resurget
Et tentare iterùm pugnas rursùmque iuuabit
Rumpere in aduersos, & quos aflaueris ignes
In coniuratos torquere ardentiùs hostes.
Tantus in auxilijs, tantùm metuendus Auerno
Nuper eras: sic Te (refluis vbi salsa Caletes
Verberat vnda vadis) contrà Febremque Luemque
Suspexit Natura Ducem; quùm vindice dextrâ
Luctantem Lodoïci animam, jam jàmque propinquo
Funere pallentem, frustrà indignantibus vmbris
Rursùs ad æthereos reuocabas luminis haustus,
Tergaque Lethalem cogebas vertere Morbum:
Ipsi Te fluctus, ipsa hæc immanis arenæ
Culmina, quæ longo surgunt per littora tractu,
Attonitis stupuere iugis: non inscius Æther
Horruit, & tantùm, mortalem, iuris habere
Inuiti voluere Dij. Voluere potentis
Imperij seruare Caput, cœloque repertam
Progeniem: renuit contrà Suprema Potestas
Consortem non gnara pati, vitæque necisque
Diuisas tecum, puduit, iam cernere leges.
Sic quacumquè Tui præsentia Nominis vrget,
Funditur hostis: abit Morbus: Victoria constat,
Famaque venturos Vallotia crescit in annos.

1098.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XV. MAII.

M. FRANCISCO GOVEL, Doctore Medico, Præside.

Suntnè animosi quibus sanguis facilè coit?

VSAEQ

VT sanguis alimentum est, sic ille materiem corpori nostro subministrat, vtque varia constat natura magnam quoque in hominibus parere solet varietatem cùm motum, tùm rerum quæ cadunt in sensus. Tanti verò cùm referat, calidusne sit, an frigidus, tenuis an crassus, fæculentus an purus; profectò dictu est incredibile quanti interfit crudusne ac plurima dilutus aqua diffluat, an verò probè excoctus coeat de facili. Concretioni porrò sanguinis ac cæterarum rerum quæ concrescere natæ sunt, vt nihil est quod officiat magis, quàm nimiopere exuperans humor, ità coagulationem ipsam maximè iuuat siccum, terrestre & liquido præpollens elementum, à quo vincatur oportet & quasi vinciatur quidquid istud est humidi quo carere concretio non potest: Cæterùm hoc ipsum quo natura fœliciùs assequatur, vegeto validoque opus est calore, qui superfluam absumat humiditatem, sanguinemque efficiat facilem ad πῆξιν quæ ξηρασία πῆξίς. namque res aquæ & terræ participes, mustum, lac, lutum, sanguis ipse denique vel insiti vel aduentitij caloris vnius ope concrescunt.

SICCITAS equidem prima coagulationis fundamenta iacit, verùm vt sanguis coeat, minimè satis est si fiat siccus & humoris superuacui nihil habeat: nam quod in illo terrestris & aqueæ substantiæ reperitur, benè subigi & velut pinsi necesse est, vt ex his ita subactis enascatur lentum tenaxque coagulum quoddam, cuius beneficio massa sanguinis εὔπηκτος euadat? quid vero sociata cum siccis humida constringet arctiùs? quid illa minutùm attenuata magis permiscebit, quàm vegetus ~~[illegible]~~ calor omnia peruadens ac penetrans, cuius cùm tàm eximia vis deprehendatur in naturæ & artis operibus, tum precipuè elucet, & diuinum quiddam exhibet, quoties conuenientem sibi materiam nactus est: ille profecto fibrarum in sanguine opifex ipsiusque concretionis author est singularis, nec ab alio artifice formari potest suum in sanguine vt in lacte coagulum, quod vt in lacte lac est paulò feruidioris & igneæ naturæ; sic in sanguine sanguis est, qui tantò plus in se coercet caloris & ignis quantò citiùs faciliusque concrescit.

NIMOSI sunt illi quos maximè arduis in rebus numquam destituit feruidus & constans animi vehementioris impetus: illo feruntur homines ad fortem grauioris alicuius iniuriæ depulsionem, siuè illam suis tantùm cæptis anteuertant & amoliantur, siuè vlciscantur atrociùs. tenet eosdem pariter solius gloriæ cupiditas & nulla obiectorum periculorum æstimatione, quæcumque votis obstant suis impedimenta peruumpunt. Cos isthæc vera fortitudinis est, sine qua nemo virtuti litauit vnquàm. ea qui sunt indole super cæteros omnes eminent. viuidiores hosce imperterritorum animorum motus, quid potentiùs cieat quàm nostri caloris vis acerrima: scilicet vt tardum inersque κρᾶσιως frigus vecordes & ἀνοήτους homines reddit, cunctabundos & cessatores, aut saltem speculatores insidiosos, sic feruor nos agit in impetum, ac ipse tandem impetus feruorem adauget, siquidèm in igne motus accendit ignem.

VANIDVS illicò languescit impetus & emoritur, nisi qui concitauit ipsum calor sibi adiuncta siccitate foueat. cum igitur animositas minimè solo contenta sit impetu nisi duret, non vnus calor animosos præstat: sicca & firmiore materia opus est ad perseuerantiam: caue ergo credas animosos esse πτηνοὺς, ὀξυθύμους θαρρυθύμους πτερορρόλους. parum abest quin ab animosis tam alieni sint, quàm lenti & molles, ἀόργητοι, ἀνδραποδώδεις, turpiter obsequiosi, quinetiam nec ad vilia satis obsequia nati: generosis pectoribus dulci libertate antiquius nihil est: imperiosum enim & inuictum quiddam est animositas, in quâ id vnum desideres, quod ea qui gaudent ἐκστατικοὶ quandoque tam egregiam dotem effrani confidentia famosàque temeritate corrumpant; adeo vt in nerunm aliquando erumpat fortitudo isthæc: animosi sani, vinaces, vtràque mineruâ fauente nati, eò fœliciores adhùc si obstinatæ ad pericula mentis vim plusquam humanam comitate quadam condiant. illi fidem tanquam carissima munera reipublicæ à natura donati, non assiduæ negotiorum moli impares, non diuerso rerum confusi vultu, res aduersas emendant patientia, secundas sine futili animi elatione promouent, parcunt subiectis, debellant superbos, veri heroes, in hominibus Deo proximi.

VIBVS sanguis facilè coit, illos non macilentos & exiles, nec pingues nimis & obesos videas: ἴυσαρκοι sunt, quadrati lacertosi, optimi coloris & succi: sic habitis adest animositas, vegetus illis calor & benè coctus sanguis est: vt fœminas imbecillioris calore, crudiorique sanguine natura donauit, ita vix vlla ad eas animositas pertinet, senibus etiam vix contingit, frigidi quippé sunt & ab omni propemodùm igne derelicti, tuta omnia timent & auxiè nimis res reputant atque circumspiciunt: at vero sanguinem nullis penè fibris cohærentem ex eorum venis manare experientia docet: proceris quoque hominibus, aut quibus cor grandius est, deest animus: in paruo corde mediocrique & compacta statura strenuum viuidumque pectus ad diuturnos impetus par sæpe reperias: ceruis, leporibus & damis difficillimè sanguis coagulatur, idem genus animantium meticulosum est: vide quàm solida sint ossa leonibus, quàm validi robustique artus, quam facilè coalescat fusus eorum sanguis, quàm euidentia præbeant animositatis argummenta; taurorum & aprorum sanguis quàm ἔυπηκτος: jidem, quanta in belluis esse potest animositas, quàm θυμώδεις & ἐκστατικοί.

Sunt ergo animosi quibus sanguis facilè Coit.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludouicus Gallais.
M. Petrus Bourdelot.
M. Carolus le Breton.

M. Claudius perrault.
M. Tussanus Fontaine Chirurgiæ Professor.
M. Franciscus Paioi.

M. Petrus Hommetz.
M. Iacobus Reguault.
M. Nicolaus Langlois.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS GERVAISE Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LIX.